



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Disputatio XIII. De sex ultimis Prædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

tibus fundantur ut in albedine, & nigredine, &c.

3. Alio modo potest intelligi hæc proprietas non sumendo contrarietatem propriæ, sed late pro oppositione, & hæc est duplex, alia est relativa, alia est terminativa, illa intelligitur inter relationem unius extremi, & alteram correspondentem in alio extremo (ut optime explicat Pater Suarez) aut inter unum relatum, & correlativum eius, hæc inter relationem, & terminum eius, sed cum hoc discrimine quod oppositio terminativa est generalis omnibus relationibus etiam non mutuis, & sic formalissime convenit relationi ut sic, consistit autem hoc, quod relativum ut sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & conditiones ita distantes, ut necessario requirant inter se distinctionem, nam relativum est id quod aliud respicit, terminus autem est id quod respicitur ab alio, atque ita ex proprijs rationibus requirunt alicuiusmodi, ut sic dicam.

4. Oppositio autem relativa non est universalis (inquit Suarez) omnibus relationibus realibus vere, ac secundum rem, nam relationibus non mutuis non convenit, quamvis modo nostro concipiendi fingi posset, ac si conveniret, quod ad præsens nihil refert, inter relativa autem realia, ac mutua, ac relationes ipsas intercedit relativa oppositio, quæ non consistit in hoc quod una respiciat aliam ut terminum, quia iam utraque oppositio in unam coarctat oppositionem, sed in hoc quod una respiciat ut terminum id quod est fundamentum alterius, & è converso seu quod idem est, quia habent oppositas rationes, nam una refert suum subiectum ad aliud, alia vero è contrario refert illud aliud ad id quod erat subiectum alterius, ex qua talem inter se habent repugnantiam, ut non possint ambæ relationes vni, & eidem simul inesse, quia non potest unum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem.

5. Secunda proprietas est quod relatio suscipiat magis & minus, quæ ita intelligenda est, ut relatio non ratione sui, sed fundamenti suscipientis propriæ magis, & minus, dicatur etiam suscipere magis & minus, quia ipsa non potest intendi, & remitti in se formaliter loquendo cum essentialiter consistat in indivisibili, ut constat in relatione similitudinis, referente unum album ad aliud cum quo convenit, non solum in entitate albedinis, sed in gradibus, nomine ergo magis, & minus in relationibus non est propter realem varietatem, relatio enim æqualitatis, v.g. propriæ dictæ non suscipit magis, & minus, ut bene notavit Suarez ex Fonseca lib. 5. metaph. cap. 15. sect. 2. quia in indivisibili consistit, nam si ex duobus æqualibus alterum crescat, non sunt minus æqualia, sed perit æqualitas, inæqualitas vero esse potest maior, & minor propter maiorem, & minorem recessum à perfectæ æqualitate, si ergo dicuntur quedam relativa suscipere magis, & minus, id est, denominari magis, & minus, esset alia per accessum, vel recessum ab uno perfecto termino, non per intentionem, aut remissionem, tamen illæ relationes maioris, & minoris inæqualitatis, revera sunt diversæ, & non eadem, quæ augeatur, vel minuat, quia termini, & fundamenta earum sunt diversæ, & proportionales in

quibus consistunt sunt diversæ, sunt etiam diversæ, atque ita unaquæque in suo gradu inæqualitatis in indivisibili consistit.


Tertia proprietas est relata dici ad convertentem, hoc est mutuo inferri ex alio, ut est pater, ergo habet filium; est filius, ergo habet patrem.

Quarta proprietas constat ex supradictis, ubi explicuimus quo pacto relationes sint simul natura, cognitione, & definitione.



DISPUTATIO XIII.

De sex ultimis Prædicamentis.



QUESTIO I.

Quid sit actio, & quod sit actio, & quid sit passio.

PRI MA conclusio: actio est ratio formalis, per quam causa activa reducitur in actum, & denominatur agens, seu est actus ultimus causæ activæ, dicitur actus ultimus, ut rejiciatur omnis forma permanens, quæ mediante, agens operatur, sive hæc sit substantialis ut in compositis ex materia, & forma, sive accidentalis, cuiusmodi sunt potentia, & habitus, quibus mediantibus causa agit, sed non tanquam per ultimum actum, seu rationem formalem, sed tanquam per primum actum, solum enim actus secundus est ipsa actio, seu actus ultimus, nisi enim omnibus his principiis, quæ actus primos vocamus, superveniat actio, tanquam ultima ratio formalis nihil fiet.

Quod autem actio sit ratio formalis, &c. sic probatur, quia causa activa in actu primo præcise considerata non intelligitur agere, nec denominatur agens, sed potens agere, ergo per aliquam rationem formalem reducitur in actum à qua denominatur agens, & agere, sicut intelligitur per aliquam rationem formalem denominatur intelligens, & à potentia extrahitur in actum, sed hæc ratio formalis est actio, alias quam de denominationem dabit actio? aut quod effectum nominem formalem constitueret. Probatur minor, actio denominatur agens, ideo enim visio denominatur videns, & intellectio intelligens, quia visio est actio videndi, & intellectio intelligendi: ergo actio est essentialiter actus agens, ut agens est pater consequentia, quia ratio formalis per quam constituitur agens in actu, est essentialiter actus illius, sicut ratio formalis constituit agens in potentia est potentia illius: ergo actio, per quam reducitur agens ad actum est ratio formalis, & actus illius.

Primo dividitur actio in substantialem, & accidentalem; substantialis est productio substantiæ ut generatio hominis.

Actio accidentalis est productio alicuius accidentis.

cidentis ut productio caloris in aqua.

- 5 Actio substantialis dividitur in creationem, & eductionem: creatio est productio alicuius ex nihilo, id est nullo præsupposito subiecto, ut est productio animæ rationalis, & materiæ primæ.
- 6 Eductio est productio alicuius cum dependentia ab aliqua potentia materiæ ut productio animæ equi, & formæ lapidis quæ fuerunt productæ ex materia primæ, seu cum dependentia ab illa tanquam à subiecto.
- 7 Actio accidentalis dividitur in immanentem, & transeuntem, actio immanens est quæ remanet in ipsa potentia à qua oritur, quæque ex suo genere talis est, ut nunquam in alio subiecto fieri possit, ut intellectio, & dilectio, aliæ actiones solent etiam vocari immanentes, quæ tamen non reperiuntur in potentia à qua eliciuntur, manent tamen in eodem supposito, quales sunt productio speciei ab intellectu agente, productio habitus per actum, actio nutritiva, & augmentativa, actio transiens, quæ non remanet in principio à quo oritur, sive transeat in diversum suppositum, ut illuminatio dimanans in aëre, sive in distincta parte, aut potentia eiusdem suppositi, ut calefactio, quæ manus manum calefacit.
- 8 Item dividitur actio in vitalem, & non vitalem: actio vitalis est, quæ procedit à potentia animæ intrinsece perficiens illam, ut intellectio, visio, &c. actio non vitalis est, quæ à quovis alio principio emanat, ut calefactio.
- 9 Ultimo dividitur in successivam, & instantaneam: successiva actio est, quæ tempore mensuratur, & non fit simul ut calefactio; instantanea est quæ tota simul, & instanti fit.
- 10 Secunda conclusio: passio est ratio formalis, actusque secundus, à quo causa materialis seu subiectiva est, & denominatur patiens, & probatur sic.
- 11 Quia passio est ratio ob quam res aliqua fit ex subiecto, ut causa receptiva influente in effectum; hoc enim fit quoties terminus productus dependet ab alio principio, tanquam à sustentante, & cui communicet suam denominationem formalemque effectum, utrumque enim hoc petit passio, v.g. ignis per calefactionem, quæ est actio producit in ligno calorem, illa calefactio recepta in ligno est passio, quia lignum ex quo educitur calor est principium, à quo sustentatur calor ipse, & cui tribuit denominationem calidi, ideo enim creatio animæ rationalis non est passio, quia anima rationalis, quæ producit per ipsam, non dependet ab alio, ut à sustentante, & ideo, ut bene adnotant Doctores, Verbum Divinum patitur unionem hypostaticam, licet unio denominet Verbum unitum, quia non fit ex ipso.

QVÆSTIO II.

Quid sit situs, & quæ sint eius species.

- 1 ARIST. 5. met. cap. 19. sic describit situm sub ratione dispositionis, est ordo habentis partes, quæ descriptio sic elucidatur. Situs est quædam dispositio localis, conflurgens in to-

to ex tali partium vicatione, v.g. ex locatione partium omnium hominis in vno loco resultat in illis quidam modus, seu dispositio, ex eo quod vna pars sit extra locum alterius, & vna sit sursum, alia deorsum, &c. quæ dispositio seu ordo partium situs vocatur; unde essentialiter situs petit duo & esse in loco, & rem locatam habere partes, nam licet Angelus, v.g. in loco sit, cum tamen non habeat partes extra partes sursum, & deorsum, non potest habere dispositionem essentialiter requisitam ad situm, & licet ut adnotat Pater Suarez præsentia, seu vbi Angeli sit aliquo modo divisibile, & habeat partes in ordine ad locum, nihilominus cum tota substantia Angeli sit sub qualibet parte illius præsentia, nullo modo potest ei tribui situs, cum situs sit dispositio totius ex ordine partium in loco, res autem spiritualis, ut Angelus minime est totum coalescens ex partibus, & ideo non potest habere dispositionem illarum, quæ situs essentialiter est, nota pro certo habendum esse situm maxime proprie convenire animalibus, in quibus sunt partes diversarum rationum, & figurarum, & ex propria, & intrinseca virtute diversimodi componi possunt, in homogeneis non potest ita adverti hæc dispositio partium, & ideo illis non tam formaliter attribuitur.

Sub hoc prædicamento collocantur hæ species æquæ, vel inæquæ esse flexæ, aut recte cessio, & itatio.

QVÆSTIO III.

Utrum vbi sit denominatio extrinseca.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

PRIMA sententia asserit vbi esse denominationem extrinsecam in locato à loco, & probatur primo.

Quia esse alicubi nihil aliud est, quam esse in aliquo loco: ergo forma huius prædicamenti, quæ res vbiatur, est ipse locus; unde erit denominatio extrinseca, cum locus in locato nihil ponat intrinsecum; forma autem denominandi ipsam entitatem, est proxima, vel remota respectu alicuius sine additione novæ entitatis; ergo esse hic, vel illic cum sit fundamentum illius approximationis, non erit entitas distincta à re, quæ approximata est, vel est alicubi.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur. Nostra conclusio.

Vbi non est denominatio extrinseca, sed intrinseca entitas modalis ex natura rei distincta ab ipsa re vbiata, seu præsentis loco, & probatur.

Primo,

5 Confirmatur primo, quia omnis entitas crea-
ta, aut est actio, aut terminus, qui producit per
actionem: sed modus localis est entitas creata, &
non producit per actionem, quia ad motum
non datur actio, cum omnis actio dependens à
subiecto sit motus, & ad vnum motum non de-
tur alius motus, alias procederetur in infinitum:
ergo motus localis est actio; sed actio est fieri:
ergo motus localis est fieri: ergo fit aliquis ter-
minus in subiecto, in quo est talis motus v. g. in
ligno producit calor, quia in ipso est calefa-
ctio, & in intellectu fit verbum mentis, quia in
intellectu datur actio intellectiva; sed motus
localis est actio in movente se ergo in illo pro-
ducitur vbi, quod est terminus talis motus in-
trinfecae: ergo vbi est intrinsecus in mobili, ideo
enim calor est intrinsecus in ligno, quia intrin-
sece est in ligno actio, seu fieri caloris; sed mo-
tus localis est intrinsecus in movente se ergo vbi
est intrinsecus in illo, & non est denominatio ex-
trinseca. Deinde quia omnis motus est actio,
cum actio, passio, & motus identificentur: ergo
motus localis, qui est vere remotus est actio: er-
go est productum, sed nulla productio termina-
tur ad puram denominationem extrinsecam, sed
ad intrinsecum terminum: ergo vbi, ad quem ter-
minatur motus, non est denominatio extrinseca,
sed entitas intrinseca.

aëre circumdata, quæ non mutant præsentiam
ad idem spatium, licet mutantur, aqua, & aër
circundantes saxum; & turrim, &c. conversi-
res, quæ erat hic alibi constituitur, etiam si ead-
dem superficie corporis circumdantis circum-
scribitur, vt patet in homine qui navi defertur,
et in aqua quæ vace defertur: ergo esse hic vel
alibi distinguunt à superficie. Patet consequen-
tia, non existente superficie datur hic, vel alibi
esse, & existente superficie non datur hic esse:
sed quæ ita se habent distinguunt realiter,
quia separantur realiter: ergo vbi distinguunt à
superficie realiter.

Secundo, quia per variationem solius de-
nominacionis extrinsecæ non mutatur res rea-
liter intrinsecæ, vt videre est in Deo, vbi va-
riatur denominatio extrinsecæ Creatoris huius,
vel illius creaturæ, sine eo quod intrinse-
cè Deus mutetur, & paries transit de non viso
ad visum sine intrinsecâ mutatione, quia esse
visum est denominatio extrinsecæ; sed corpus, si
nunc sit hic, & postea alibi intrinsecæ, & reali-
ter mutatur cum de non progrediente intrinse-
cæ ad progrediens intrinsecæ transeat: ergo non va-
riatur in illo sola denominatio extrinsecæ; sed
aliquid intrinsecæ existens in illo, quod vocatur
vbi.

Tertio probatur, quia si vbi esset aliquid extrinsecum maxime esset circumdans corpus loci superficies eius vltima, sed hoc non ergo. Minor sic probatur, quia licet varietur corpus circumdans, cum tamen res non moveatur ibidem, quum antea, vbi antea erat non mutatur presentiam, & vbi, vt patet de saxo in flumine, & de turri aere circumdata, & de conuerso res, quae erat hic alibi constituitur, etiam si eadem superficie circumdantis corporis circumscribitur, vt patet in homine, qui in navi deferatur: ergo illud in quo consistit esse hic vel illic non est sola denominatio extrinseca à corpore circumscribente. Probat hoc, nam si mutatur circumscriptio, & non item esse hic: ergo aliquid aliud est hoc esse hic, quam extrinseca circumscriptio, nam si essent idem non posset vnum amittere, & aliud retineri, vt ex principijs physicois, de separatione reali patet.

Constatum est, si Deus destrueret omne corpus
circumdans Petrum in hoc spatio, Petrus esse
actualiter præsens huic spatio: ergo vel esse præ-
sens huic spatio actualiter esset denominatio
extrinseca, vel intrinseca in Petro: sed non est
denominatio extrinseca: ergo intrinseca. Maior
est certissima. Probatur minor, omnis denomi-
natio extrinseca realis provenit ab aliquo for-
ma intrinseca realiter in alio: sed hic non datur
forma intrinseca realis in alio à qua possit pro-
venire talis denominatio extrinseca realis: ergo
&c. Probatur minor in casu posito, nullum est
ens reale præter ipsum Petrum: ergo non est
forma intrinseca realis in alio, à qua pro-
veniat talis denominatio extrinseca realis in Pe-
tro: ergo non est denominatio extrinseca: &
est denominatio intrinseca existens in Petro, &
accidentaliter respectu illius. Patet ultima con-
sequentia, omnis denominatio realis, vel est ex-
trinseca, vel intrinseca subiecto: sed Petrum esse
præsentem huic spatio est denominatio realis in
illo non extrinseca, vt probatum est: ergo.

Qu.vlt. Quid sit vbi, quando, & habitus. 837

- 10 Deinde, quia si terminus extrinsecus qui posset acquiri per motum localem esset aliquid extra moventem se, maxime locus extrinsecus, qui nihil aliud est quam vltima superficies corporis continentis; sed in vacuo, v. g. supra cælum vel naturaliter, vel supernaturaliter potest dari verus motus, & nullum corpus, ac proinde nulla superficies vltima datur ibi corporis continentis; ergo terminus necessarius motus localis non est locus extrinsecus, sed potius præsentia intrinseca in movente se.
- 11 Secunda pars conclusionis, scilicet quod distinguatur ex natura rei à re vbiata sic probatur primo, quia omnis actio producit terminum distinctum à parte rei à passo in quo subiectatur actio; sed vbi producit per modum localem existentem in re vbiata; ergo tale vbi distinguitur in re à re vbiata.
- 12 Secundo probatur, nam v. g. quantitas Eucharistiae per mutationem localem acquirit novum vbi, & amittit antiquum, nulla facta mutatione in quantitate per se loquendo: ergo evidenter colligitur quantitatem illam distingui ab vbi, quod de novo acquirit, & à quo nunc separatur quod erat antiquum, cum idem non possit esse, & non esse simul.
- 13 Tertio probatur, quia illa distinguuntur, quorum vnum potest esse sine alio, sed Petrus potest esse sine illa denominatione: ergo Petrus distinguitur ab illa, distinguitur autem tanquam mediū à re, quia licet Petrus possit esse sine illa, illa autem non potest esse sine Petro.

SECTIO VLTIMA.

Solvuntur Argumenta.

- 14 Ad argumenta, & ad primum Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia forma vbiati in loco non est ipse locus; sed est præsentia realis, entitas scilicet modalis, quæ res hic, vel illic formaliter existit, quæ entitas distincta est realiter à loco, & à corpore locato, tanquam modus realis intrinsecus ipsius.
- 15 Ad secundum argumentum Respondeo, negando antecedens, vti iam probatum manet de relationibus, de quibus ostendimus distinctas esse à fundamentis; sed demus relationes approximationis, vel remotionis non distingui ab entitatibus approximatis, seu à fundamentis approximationis, non bene arguitur postea quod vbi non distinguatur ex natura rei ab ipsa re vbiata, vti videre est in Doctoribus, qui ex vna parte dicunt relationem non distingui à suo fundamento, & ex alia asserunt vbi distingui ex natura rei, à re vbiata, vti videre est in Patre Suarez.

QVÆSTIO VLTIMA

Quid sit vbi, quando & habitus.

- 1 Prima conclusio: vbi est modus realis intrinsecus à quo res habet formaliter esse præsens in loco, seu est ratio formalis intrinseca

constitutiva rei in esse præsentis alicui spatio.

Dicitur modus intrinsecus, vt excludatur ipse locus extrinsecus, spatium nimirum in quo est res vbiata, & à quo distinguitur vbi ex natura rei, dicitur ratio formalis, & c. vt excludantur formæ v. g. motus, & quantitas, quatum effectus formalis non est constituere rem præsentem alicui loco, seu spatio, per quam particulam etiam excluditur potentia motiva, per quam non formaliter, sed effectivè res est in loco, quod clarius elucidatur, Paulus enim indifferens est, vt præsens sit huic gymnasio, vel plateæ, & ideo eger aliqua entitate à se distincta, quæ sit ratio formalis determinandi illum, ad hoc gymnasium potius, quam ad plateam; hæc entitas vocatur vbi, & acquiritur per motum localem, tanquam necessarius terminus illius, quia motus est actio realis; sed actio realis necessario petit terminum realem, & actio intrinseca terminum intrinsecum: ergo vbi solum est terminus motus, & non locus extrinsecus.

Vbi dividitur in circumscriptum, & definitivum, circumscriptus est modus, quo res tota est præsens toti spatio, & pars illius parti spatij, vt totus Petrus est in toto spatio sibi commensurato, & caput, seu manus eius est in parte illius spatij, quod adæquate à Petro occupatur.

Definitivum est quo res ita est præsens toti spatio tota, & etiam sit tota in qualibet parte spatij v. g. Angelus, qui totus est in toto hoc gymnasio, & totus in qualibet parte illius; etiam Christus in Eucharistia, totus est in tota hostia, & totus in qualibet parte illius, & idem est de anima rationali in corpore.

Secunda conclusio, quando est duratio intrinseca rei, quæ sic definitur. Duratio est positiva permanentia, seu perseverantia in existendo; vt hoc intelligatur, nota cum Patre Suarez, nullam rem proprie durare in primo instanti nostri temporis, in quo incipit esse, quod est valde consentaneum communi consensui, tum Latinorum, tum Philosophorum, quia verbum *duro*, permanentiam aliquam in re significat, cum autem res in vnicuique instanti nondum habeat permanentiam, seu propagationem in existendo, non potest proprie dici durare pro eo instanti, & ideo ab omnibus Theologis excluditur à generatione substantiali duratio illi solum tribuitur fieri, & existere, & subito transire, existens enim comparatur productioni, duratio autem conservationi rei, nam existens dicit actualitatem rei extra causas absolute, & non connotando præexistentiam aliquam; duratio vero dicit perseverantiam aliquam in eadem existentia, & sic connotat secundum nostrum modum concipiendi præexistentiam eiusdem existentia, seu quod talis existentia concipi possit, vt existens ante quodlibet instans, pro quo durare dicitur.

Duratio vt sic universaliter sumpta quam hoc prædicamentum exigit, dividitur primo in creatam, & in incretam: Increta dividitur in æternitatem, & in sempiternitatem, seu coæternitatem, non tamen in duo membra realiter distincta; sed tantum formaliter per intellectum: Æternitas est duratio interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio: sempiternitas, seu coæternitas est duratio divinarum personarum, non quatenus Deus, sed quatenus relativa entia sunt, sic vocavit durationem

durationem illarum personarum Athanasius, cum dixit coæternus Pater, &c.

7 Secundo, duratio creata, in successivam, & permanentem: duratio successiva est rei quæ in fluxu successivo consistit, id est habentis unam partem post aliam, v. g. tempus, & motus. Duratio permanens rei, quæ habet totum suum esse simul.

8 Hæc duratio dividitur in ævum, & instans discretum: Ævum est duratio rei spiritualis, v. g. Angeli, & animæ rationalis: Instans discretum est duratio entis corporei, permanentis, vt hominis, cæli, &c.

9 Tertia conclusio: prædicamentum habitus, est denominatio extrinseca proveniens ab indumento, seu vestibus, non autem est entitas intrinseca; quod sic probatur contra Rubeum.

10 Quia si esset modus intrinsecus, vel produceretur a veste, & hoc non, quia vestis solum est approximata, & contigua vestito; sed ex eo solum, quod una res sit approximata alteri non producit illi modum aliquem, alias homo unus, qui contiguus est alteri, & Angelus, qui approximatus est homini, aliquid produceret in ho-

mine, quod falsum est in materia de Angelis. Item quantitas separata à pane in Eucharistia produceret modum manibus Sacerdotis consecrantis; sed nec quantitas nec albedo, quæ est in illa, vt patet evidenter ex Philosophia non sunt accidentia activa; ergo nihil producunt: sed similiter vestis tam quoad materiam, quam quoad formam non est operativa, nec activa; ergo nihil producit in vestito. Vel ille modus producit à vestito ipso in se ipso, & hoc non, quia sine aliqua mutatione sui potest homo pallio cooperiri, vt statua induitur pallio, & licet aliquando detur mutatio localis, cum ipsa mutatio non habeat pro termino nisi ubi non potest producere modum illum fictitium.

Vltimo, quia conservata veste in homine, Deus potest auferre ab homine quemcunque modum distinctum ab ipso homine, & nihilominus homo vestibus circumdatus non potest negari quod sit vestitus, & habeat vestes, & non datur in illo modus ille intrinsecus, cui substat eo cursum Deus: ergo fictitius est modus intrinsecus ad prædicamentum habitus.

